Crac. Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Phil. Ord.
1651.

Latkowski Andreas: Πεντάγωνον academici laboris ingenuis V adolescentibus primam in Philosophia lauream capessentibus — decantatum.

ΠΕΝΤΑΓΟΝVΜ
ACADEMICI LABORIS
Ingenuis V. Adoleſcentibus
Primam in Philoſophia Lauream
Capeſſentibus.

Excellentiſsimi ac Doctiſsimi Domini,

D. CHRYSTOPHORI
R A D O M I I,
Collegæ Minoris
DECANATV.

Excellentiſsimo Domino,

D. MARTINO SŁONKOWIC,
Collegâ Maiore promouentę
V. MVSIS


A me

ANDREÆ LATKOWSKI Pabianicenſi,
eiusdem Laureæ Candidato decantatum

Anno Domini 1 6 5 1.

C R A C O V I Æ,
In Officina Typographica Valeriani Piątkowſki.

68.



Perillustri & Adm: Reuerendo Domino,

D. NICOLAO

DE OBORY

OBORSKI,

I. V. Doctori, Prothonotario Apostolico, Crac: Posna. Canonico, Decano SS. Omnium, S.R.M. Secretario, Illustrissimi Principis, Domini Episcopi Posna: Cancellario.

Dño ac Mecenati munificentissimo.

PRIMÆVVM ingenÿ mei fœtum, primùm modo gradienti tem vouendum esse censui Perillustris ac Magnifice Domine. Vt sub Tuo protectionis fauore, patrociniÿ dexterâ, defensionis pallio tutius maturescat. Cùm enim ea Maiorum nostrorum inoleuit cõsuetudo, vt exiles licet ingenÿ sui fœtus patrocinanti Illustrium in Republica dexteræ, aut suorum Mæcenatum beneuolentiæ, aut de literaria Republica benè meritorum curæ studeant consecrare. Neq; commodior alia sese mihi hâc dedicandarum Vigilarum potuit offerre occasio, quàm vt rectè, laudabiliterq; institutæ morem geram consuetudini. dabis (vt spero) veniam Perillustris ac Rñde Dñe, vt sub tuo patrociniÿ fauore, in tuo duntaxat gremio, ac veluti in æternitatis ara consecratus ingenÿ mei partus maturescat. Tutiorem illi apud Te quàm Aiacis clypeo polliceor sedem, si hoc laboris mei signum Mæcenatis protectione destitutum magnâ receperis dexterâ. Opus illud nõ appello, quòd nec subtilis ingenÿ sale cõditum, nec nodoso perpolitum

acumine

acumine reperias, Verum rasam quasi tabulam ex recondita Musarum Arca æternum tuo dicabo honori. Oro igitur, ac humillime obtestor, vt nō aliter, ac si sub Achillis clypeo lucem possit intueri. Tu ipse studiorum meorum primitias pensitare velis. non enim nominis nostri gloriam, sed Tuæ immortalitatem beneuolentiæ (quam nunc experior, & agnosco) prædicare cupio; vt perennes æternitatis oras (quā Tibi sedem natura constituit) inhabitet. Virtusq; Tua, cui fama locum adornat cum in hominum linguis, tum in memoria Posterorum inclarescat. Quodsi iam me sub clypeum protectionis Tuæ recepisti, precabor beneficium Cæli Regem, vt Te felicitati nostræ, tranquillitati Academicæ, nec non famæ eiusdem propagationi, bonarum artium splendori, omnium deniq; bono sospitet, ac fortunet. Tu igitur Votorum nostrorum Arbiter (hoc enim vltimum restat) Deus, hoc ad cumulum felicitatis adiunge, vt illi Nestoreas cumules Calendas, cui tantam Virtutem inesse voluisti, quem ego dum ex hisce studiorum meorum Labyrinthis velut Theseium respicio filum, magnam illi, & perennem Vouebo felicitatem.

Perillustris ac Rndæ D. T.

obsequentissimus

Andreas Latkowski
Art: & Phil: Candidatus.

ODE I.

Excellentiſsimis, ac Doctiſsimis Dnis. D.
Examinatoribus.

QVid diu caſtam trahis in receſſus
SłONKOVI longas, mihi quid coronam?
Deſides, ſegneſq; dies Senatus
Alme recedant.

Ite mordaces procul ite ſoles,
Nos vocat ſacris Helicon viretis,
Vos reluctatis virides Ephebis
Carpere Lauros.

Nos vocant molles Heliconis vmbræ,
Arguunt me Nereides morantem,
Quid ſero Laurum pede, quid moleſtam
Proteris herbam?

Me quis ad veſtrum ſolium Camænæ
Deferat feſſum Zephyrus? ſonorâ
Siſtat ô ſi me violis coruſci ad
Flumina Pindi?

Lenis hîc auræ rigor, hic venuſtas,
Fulgor hîc, rerumq; Poli beatus

Vultus hîc castis opulenta manant
Gaudia riuis.

Hîc sales docti, sapidi lepores,
Hîc iocus circum reboat Senatus,
Gratiæ sacroq; Ioui gregatim
Carmina dicunt.

Ergo festiuo dare verba cantu,
Postulatæ mî liceat potestæ
IVRKIEVI doctis sociande Nymphis
Munere ludis.

Collis ô sancti decus, ô Lycæi
Præses, ô Craci fidicen Stagyræ
RADOMI, qui nos cupis in recessus
Scandere Montis.

Pegasi riuos, Aganippidumq;
Murmur, & cantus volucrum sonoris
Gerno Parnassum reuirere botris,
Atq; susurris.

Ergo segnes tolle moras RADOMI
Alme. festum ô Proceres Cateruam
Thespiæ quinam caput intueri
Mittite rupis.

Hic

Hic ad Empusæ nemus hic odores,
Fronte victrici virides triumphos,
Pignus æternæ, ſpecimenq; laudis
Carpe iuuentus.

ODE II.

I. V. D. IOANNI ZAŁVSKI Typotij Aquila ad Solem deiiciens plumas cùm Lemmate. Renouamini. *vel.* Renouata iuuentus.

Fallor? an Aonię Phębo radiante Camęnę
Nos ſuper arua vocant?
Surge cohors doctis Genio ſocianda Camęnis,
In iuga Montis abi.
Blandiſonas Lycii dextram demitte ſub arces,
Vt lyra veſtra canat.
Namq; ſonos poſcit Cytharę chorus iſte nouellos,
Poſcit et ipſe Phanes.
Miſceat vt ſacris ſubitò ſe ſcęna Tragedis,
Exuperentq; ſales.
Ad tua Phębę cito delabimur agmine curſu,
Ad tua luſtra citi.
Ad tua deciduus currit Załuscius Arua,
Hunc ope cinge tuâ.
Ignibus Aetna ſuis, non telis Aſtra triſulcis,
Centimanuſq; Gigas,
Ter-

Terrebunt. tacito circumpede labitur amnis
Si tua Castra Phanes.
Si violis, Hyacinthinis si diues ab herbis
Phębe cacumen habes.
Si maturatę labuntur ab Arbore ficus,
Percutiuntq; sinum.
Hospitium volucres, prębet formosa serenos
Gramininis herba thoros.
Hinc Zephyris, Tamesis muscosis inde susurris
Ingruit arua. Libens
Surge. quid indignum differs per tędia cursum?
Gratia surge Dei.
Ecce tuam Phębi velabit adorea frontem,
Eia age rumpe moras.
Armiger ecce Iouis Phębo radiante senectam
Proiiciendo fugit.
Ergo age Radomio nobis radiante senectam
Hic renouare tuam.
Tempora perpetui gestent redimita coloris
Fronde virente decus.
Crede mihi simili turget non Pęneus herbâ,
Laurea prima licet.
Ergo Tuâ dulces saliant in colla Coronę
Sponte Decane. Placet.

Elegia.

II. V. D. IOSEPHO SEKVLINSKI. NICOLAI VRSINI Nolæ Principis noctua supra frenum, quod circumdatur Laureâ Coronâ cum Lemmate. Vigilijs, & moderatione. scil: Corona quæritur,

Nocte vigent sensus, hinc est sacrata Mineruę
Noctua, quę triplici lumine nocte videt.

MEntitus Thracio quicquid modulamine vates,
Dulcisonâ cecinit quicquid Apollo lyrâ.
Nil, nisi sub supero latuit tibi Pallas olympo,
Quid scis Apollineâ Dædalus arte tulit.
More recuruati redeunt monumenta Sophorum
In te Mæandri Docta Minerua gradus.
Sola stagyræo diuellis in ente tenebras,
Nescia sola cupis dogmata scire sophûm.
Nil licet auricomo tacitum sub sole relinquas,
Pacis auem Triuiæ quærere mittis opes.
Cuncta sub insomnes scrutans deducat vt horas,
Ne tua se lateant noxq; diesq; bona.
Ventilat hæc doctis mediâ de nocte Camænis,
Quæ post, ante, retrò lumine Musa latent.
Nil sub præteritis, nil sub celanda futuris,
Lumine nam triplici disculit illa suo.
Ecce super frenum volucris conscendit honoris,
Insomnes video noxq; diesque cui.
Signa Sekulinski super hæc vestigo sedisse
Te, non noctiuagum Palladis arte Larem.

Pectine Pieridum celebraberis inde tuarum,
Quas tu solicito quæris Amice pede.
Eruet è tacitis quicquid tua Luna tenebris,
Consumet rabidis nulla Charybdis aquis,
Nunc, quæ laudisono cingit te Laurea serto,
Mopsopium felix non reticebis opus.

ODE IV.

Ill. V. D. THEOPHILO IACOBEIO. Guilhelmi Ducis vtriusq; Bauariæ Laurus vndiq; circũdata fulminibus cum Lemmate, vincit mea virtus.

Cresinis, neq; Tantali
Pugnandum phaleris nunc superest tibi.
Et gemmas, et invtilem
Argenti penitus sperne superbiam.
Nostrâ sub Duce Pallade
Nullus restat honor, nullaq; faustitas
Spem auratis phaleris dare.
Non hęc arma leuem confer in aerem.
Temnas Sidonias virûm
Auratâ chalybes cuspide candide.
Non mentes clypei iuuant
Tales, nec celebris flumine Lydius.
Vinciri meritam cupis
Frontem, Calliope non refugit dare
Vocem, cum Cytharâ Tibi.

Euterp

Euterpe cohibet, nec Polihymnia
Sacrum tendere barbitum.
Cures Pindaricas dicere voculas.
Et si Socraticum lepos,
Si docti gremium munera Tullii
Conscendant bone vir tuum.
Hęc sunt arma tuis iuncta parentibus,
Hęc mentem, hęc animum decent,
Ales quandoquidem non generat Jouis
Jmbellem volucrem ferox,
Dicam te patrię fortis imaginem,
Terrent inde licet tuam
Laurum pestifero nubila fulmine,
Terrent sphyngis acuminina
Mentem Iacobei docta, sed ardua,
Horret non animus, modò
Indefeßa Scotos sollicitet dies.
Ruptis fulmina nubibus
Vitant impauidam semper adoream.
Tutam pręuia fulminis
Iracunda Iouis tollere nesciunt
Mentem fulgura. sed nequè
Laurum (saxa licet tęrreat) horrida
Tempestas ferit imbribus.
Terras (temne) licet frigora verberant,
Virtutis procul à via

Disce

Discedunt. Boreę murmura posthabet
Virtus. hanc age quęrere,
Virtutis viridem carpere Lauream.

ODE V.

IV. V. D. PETRO MIGACZEWICZ Caroli Friderici Iuliacensis, Principis Cluniæ Hercules cũ Dracone ad arborem de pomis pugnans cum Lemmate. Aurea virtutis merces labore paratur.

QVis te latentem sub tenui Lare
Non excitabit! cum tibi Thespiâ
Certante coniunctim catervâ
Atria candide Vir patescant.
Quis te latentem deserat in dio
Citare, cùm nos in sua prouocant
Augusta Virtutis trophæa
Castra suis animosa velis.
Mirare, iunctas adspice Gratias
Velox Camænis cum Dryadum choris
Pulsare ridenti sonoram
Castalidum Cytharam Tonanti.
Odi profanæ compita gloriæ
Damnosa Mundi Laurea quid iuuat?
Plerumq; si cassum fugaci
In palea solium reclinat.
Huc huc puieto Thespiadum otia
Aptare conducit Tibi sydere,
Elea spectandis frequenti
Prata libet celebrare ludis.

Gressu

Gressu. hic velut nidum positurus, &
Spectans Lycaeum in Castalia specu
Haeras, Camaenis te daturus
In socium, comitemq; mortis,
Ergo molestam protinus incole
Gazam, futuris plaude laboribus,
Euterpe Laurus quâ labores
Solicitae facilis serenet.
Virtutis aurum non sine puluere, &
Virtutis aurum non sine munere.
Nōn deses excepit thesauros
Aonius sine clade victor.
Nec caeca regnis culmina Daedalus
Exstruxit, hâc virtutis ad exedram
Itur, perennes si calendas
Inde tuis cupis esse gestis.

ODE

TRICOLOS TETRASTROPHOS.

V. V. D. ANDREÆ LATKOWSKI
eiusdem Laureae Candidato, in pignus amoris
Martinus Miełkowski, Philosophiae
& Eloquentiae Auditor
OCCINIT.

Musis

MVsis amicum Candida Carpathi
Donamus agris corda Latôuium,
Aeternet Andreæ Columna
Per titulos, memoresq; fastos.
Condit perēni quam tibi Numine
Iagello, sedem Bisthonidis super,
Aedemq; fallacem, quin Palæstræ
Cecropiæ vigeat Corona.
Nec busta diues Caria Principis
Sui, nec ædis laudet olympicæ
Phidâs metallum, nec colossos
Scaldiácis celebres in agris.
Hæc Laurus alto candida culmine
Iagelliânis creuit in hortulis,
Nec casta non temnit ruinas
Ipsa suis animosa Sceptris.
Te cingat ergo hæc, quam neq; turbidus
Auster, nec vrit Syrius ignibus,
Diris, nec horrendis iniquus
Frigoribus Boreas Coroná.
Te cingat ergo hæc Laurea, Carpathus
Quam fulcit almis ipse Trionibus

Non

Non transſeunti, ſed perenni
Orbe, ſuo decorata flore.
Virtutis index cingat adorea
Liquore ſacrum Pierio caput,
Nocturna ſemper cui laborant
Otia, peruigileſq́; ſoles.
Licetq́; famam liuor ab aureis
Detreſcat aris, non Acherontius
Offundet excelſam Latôui
Inuidiæ tibi veſper alam
Laudis, ſepulchri neſcia non cadit
Virtus, edax & nominis in tui
Occumbet ortu liuor, almæ
Probra diu minitans Coronæ,
Ergo moleſtas adſpice Laureas,
Signumq́; ſanctæ dic age gloriæ
Et diuites temnas Smaragdos,
Hoc ſpecimen meditans honoris,

Sub felicissimis auspicijs

Perillustris Magnifici ac Reueren: Domini;

D IACOBI GORSKI,
I.V. Doctoris & Canonici Cracouiensis: nec nõ Almæ Academiæ Cracouiensis
RECTORIS
Vigilantissimi.

Szaniawski Constantinus Felix.

Polon. Prov. fratrum Eremit. Ord. S. Pauli: Thronus agni

Szaniavianus erectus.